1421. d. 22. Julii. Ex Orig. arch. Regni

317.

62

Vladislaus rex ratificat donationem Bonorũ quorumdam, per Leonem ducem nobili Czaplic facto.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum tempus nostrum continuâ revolutione proch dolor! sic labatur, quod praeteritorũ accio, futurorum sucessione subripiatur, prudentum consilium est, ut acta digna memoria scripture, sic serventur integra, quod usque ad decursum futuritemporis certè veritate maneant incorrupta. Proinde nos Vladislaus Dei gratiã rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sendomiriae, Syradiae, Lanciciae, Pomeraniae, Lithvaniae princeps supremus et heres Russiae &c. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis tam praesentibus, quam futuris, praesentiũ notitiam habituris. Quomodo experta Syvankonis alias Czapliz de Pohorcze villa sic dicta in districtu Grodocensi sita, tum verò fidelis nostri dilecti terra ducis Leonis praedecessoris nostri dilecti est oblata coram aspectu maiestatis nostrae, quam accipientes, conspeximus, in qua non invenimus nec invenire potuimus qd malignum nobis videretur derogare seu quovis modo nocere, quam etiam dux Leo praedecessor

noster dilectus præfato Sywankoni Czaplicz et ipsius successoribus legitimis dedit super dominationem et hæreditatem villæ præfatæ Pohorcze in fluvio Dnyestr iacentem absque duabus areis ibidem videlicet Zahaczyno, Dworzyszczye, et qua litera ducis Leonis prædecessoris nostri data quod illuc expressum est sigillo ipsius pendente et roborato. Nos verò donationem præfati ducis Leonis præfatæ villæ Pohorcze supradictæ gratiosiùs annuentes ob ipsius Syvani Czaplicz multiplicium servitiorũ merita et claræ fidei constantiam, quibus nostræ maiestati promptè sedulitate complacuit, et in futurum aucto fidelitatis studio se poterit continuò reddere gratiorem, eandem donationem præfati ducis villæ Pohorcze, exceptis duobus areis palam habentes atque gratam, ipsam approbamus, ratificamus, confirmamus et gubernamus temporibus perpetuis et in ævum, constituentes eundem Givankonem Czaplicz et ipsius legitimos successores villæ præfatæ Pohorcze verum dominum et hæredem et perpetuum possessorem cum omnibus dictæ villæ utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus, campis,

campis, agris, pratis, piscinis, molendinis, flu-
viis, et ipsorum decursibus, mericis, gais, ru-
betis, mellificiis, venationibus, lacubus palu-
dibus et generaliter cum omnibus et singu-
lis proventibus et obventionibus universis
extunc existentibus ibidem, aut quae futu-
ris temporibus ex eisdem possunt perve-
nire per ipsum Gyvenkonem Czaplicz
et ipsius successores legitimos habendam
villam praefatam, tenendam, donandam,
obligandam, commutandam, et ad usus sua
suorumque successorum legitimorum bene
placitos commutandam, prout praefato Gy-
vankoni et suis legitimis successoribus
melius et utilius videbitur expedire. Ratio-
ne autem huiusmodi confirmationis nostrae
praefatus Giwanko Czaplicz et ipsius succes-
sores legitimi, nobis et nostris successoribus
servitia talia impendere debet, ad quamlibet
expeditionem generalem, dum proclamata fu-
erit, cum uno sagittario servire sit astrictus
et tenebitur. In cuius rei testimonio, sigil-
lum nostrum presentibus est subappensum
testimonio literarum. Actum et datum in
Medica ipso die Mariae Magdalenae, sub

sub anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo primo, praesentibus generosis et nobilibus dominis Dobeslao de Sprowa subcamerario Premysliensi, Choythkone de Bolestraszycze iudice Premysliensi, Iszydrone de Pleszowo, Rathkone de Rathkowicze, Iaskone de Myesnyewicze, Petro de Grochowcze, multisque aliis fide dignis fidelibus nostris testibus ad praemissa. Datum per manus venerabilis domini Iohannis decani Cracoviensis vicecancellarii aulae nostrae &c.

Ad relationem magnifici domini Nicolai Marschelkonis curiae nostrae.

Ta kopia wypisana z oryginału pargaminowego 1785. d. 14. maia od którego oderwana iest pieczęć.